



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XIII. Resurrectio Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Mane Thecel Phares. Dan. 5. 25. Vigili si mente notares: rapta restaurares, & meliora dares. Broymard. Rapina.

Filia Sion exultate- quia dedit vobis doctorem justitia; & descendere ad vos faciet imbrem matutinam. Joel. 2. 23. Quæ consequentia est? *dabit doctorem vobis, & vinò torcularia redundabunt?* Monitos nos vult: justitiâ meliùs, quam culturâ, seri arbores, messémque comparari. Non enim Ceres, sed Altraa, campis excubat: quos librâ feliciùs sarrire, quam rastro, potes. Cœlum agri tui, sanctitas, aut scelus est. Si æquas es, rorâsti; si perfidus, fulgurâsti. Oliva l. 1. Strom. §. Exultate.

Beati, qui esuriunt justitiam; beati misericordes. Matth. 5. 6. 7. Nota ordinem verborum: priùs nos ad justitiam accingit, & ad ea reddenda, ad quæ ex justitia obligamur, dum mandat misericordiam. S. Chrysol. hom. 35. in Matth. par erat, ipsum, qui injuriam passus est, misericordiâ opere juvare: nunc verò alios cædis; & quos non cædis, curas: cum æquum sit, illos curare, quos sauciâsti. Pinna Eth. 222.

Meliùs est, rem familiarem minui, quam salutem animæ perire. Meliùs est sponte dimittere; quam id admittere, pro quo omnia dimittenda sunt. S. Hieron. ep. 11.

Vide Avaritia.

TITULUS XIII. RESURRECTIO CHRISTI.

§. I.

Figuræ, Vaticinia, Symbola.

Ex Veteri.

P*Ut abam nos ligare manipulos.* Gen. 37. 7. S. Ambros. l. de Joseph c. 2. in quo Resurrectio Domini revelata est, quem & in Galilæa cum vidissent, undecim adoravere Discipuli; & omnes Sancti, cum resurrexerint, adorabunt, fructus bonorum operum profertentes.

Quærit Isidorus Clarius, cur quadraginta diebus post Resurrectionem Christus in terris manserit? & respondet: quia & ipse suum Pascha habuit, sive transitum. Sicut ergo post exitum ex Ægypto Ex. 16. 37. populus Hebræorum, prius quam in terram promissam, quâ in cœlum ingressus per credentes in Christum faciendus significabatur, ingrederetur, quadraginta annis in deserto moratus est: sic Dominus, cujus mors, atque resurrectio ex mortuis, exitus è Mundo, quasi ex Ægypto, fuit; ut figuræ responderet, diem pro anno, qui mos scripturæ est familiaris, accepit l. 1. or. 3.

Et messueritis segetem &c. Levit. 23. 10. Manipulus spicuum significat Christi Resurrectionem. Unde & altare Sabbathi paulò post immolatum Phasæ offertur: quia duo hi fuere Christi dies; unus Passionis, alter Resurrectionis. Cornelius hic.

Invenit germinasse virgam Aaron. Num. 17. 8. Virga post ariditatem virens, Christus post mortem resurgens: ipsum enim florem, ipsum virgam intelligimus; ut in Virga potestas regnantis, & in flore pulchritudo monstratur. V. Beda hic. Christus in Paschate instar amygdali primò floruit, id est, primò resurrexit: ipse enim, primitia Resurrectionis. S. Gregor. mor. l. 14. c. 29. Apud Cornelium hic.

In Josue gloriam resurgentis, cœlumque

Polyanth. Sacr. Tom. II.

ingressi triumphum sumus celebraturi; qui nos in terram viventium introduxit; ubi prior ingressus jam non moritur. S. Rupertus Abb. lib. in Jos. 1.

Dormivi, & soporatus sum &c. Ps. 3. 6. S. Ambros. f. 57. tridui tantum temporis spatium, non tam in sepulchro Christus jacuit mortuus; quam, velut in lectulo dormiens, requievit. Ipsa enim temporis brevis declarat; somnum potius fuisse, quam mortem. S. Leo. f. 1. de Resurr. tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quam mortis. Barradius t. 4. l. 8. c. 4. Dom. Pasch.

Ego autem sum vermis. Ps. 21. 7. titulus hujus Psalmi: *in finem pro susceptione matutina.* S. Hieron. ep. 139. & q. 9. ad Helvidiam legit: *pro assumptione matutina.* & addit: matutina assumptio Resurrectionis Dominicæ, & Ascensionis ad Patrem, significat Sacramentum. De Phœnice Petrus Dam. opusc. 52. cap. 11. scribit: quòd Sacerdos Heliopoleos, post phœnicis ferale bustum, cineres curiosè perscrutans; invenit vermiculum valde pertenuem, sed eximii odoris suavitate flagrantem. Secundo die rediens, reperit eum, aviculam, per plumas, & alarum remigia, figurantem. Applicat hæc Christo, qui prius reperitur esse vermiculus, deinde phœnix plumefacta, & in aërem, alarum remigiis armata, sustollitur. Arcones in Is. 4. 2. Disc. 1.

Ad vesperum demorabitur fletus, Christo scilicet moriente; & *ad matutinum letitia,* ipsò resurgente. Ps. 29. 6. Sim. Cass. l. 14. de Resurr. Salvat.

Exurge gloria mea! exurge psalterium, & cythara. Ps. 56. 9. Quid sumus nos, nisi magni Musici Dei quædam instrumenta? unde & in citharis, & in organis, quæ profectò corda, & corpora, nostra sunt, Dominum laudare jubemur. Ipse quoque Dominus no-

Ccc c 2

ster

ster Musicum Dei Patris maximè instrumentum est; cui dicit idem Pater, dum secundum corpus in sepulchro jacet: *exurge &c.* S. Rupertus Abb. l. 1. in c. 1. Joan. Quod erat illud psalterium, vel quæ cithara? unum, idemque, corpus in sepulchro quiescens erat Psalterium, erat cithara. Erat cithara, quam distantis charitatis fidibus personantem, dulcesque prædicationis sonos modulantem, Judæi confrugerunt. Rupertus de Viell. Verbi Dei l. 12. c. 27.

Renovabitur ut aquile juvenus tua. Pl. 102. 5. Unam, & solam, aquilam Christum rectè dixerim, cujus juvenus renovata est tunc, cum à mortuis resurrexit. S. Maximus hom. 5. in festo Paschæ.

Tria sunt mihi difficilia &c. Prov. 30. 18. *Via aquile in celo fuit* Christus in Ascensione. *Via colubri in Resurrectione;* quia coluber in petra renovatur. *Via navis in mari;* in Passione. *Via viri in adolescentia;* in Incarnatione. S. Bonaventura in hexam. serm. 8.

Botrus Cypri. Cant. 1. 13. Qui fuit *fasciculus myrrha* in amaritudine Passionis; ipse est *botrus Cypri* in dulcedine Resurrectionis. Myrrha tristificat; vinum lætificat. S. Ildorus hic. Ideo intelligitur hic Resurrectio: quia *visi Domini* post Resurrectionem *quasi sunt* Discipuli. - Tu dilectus Meus, non solum es mihi botrus Cypri, lætificans animam per Resurrectionem; sed etiam es mihi botrus in vineis Engaddi, id est, botrus balsami: quia, secundum Glossam, in Engaddi sunt odores balsami crescentis in modum vinearum &c. S. Thom. Aqu. hic.

Sicut lilium. Cant. 2. 2. Eucherius in l. 3. Reg. Christus lilium, propter gloriam Resurrectionis: foris candidum, propter gloriam corporis; intus verò aureum, propter fulgorem animæ.

Revertere, similis esto &c. Cant. 2. 17. id est, diluculo resurge, valde manè, plenâ luce reparationis nostræ; inclinatis, atque destructis, umbris mortalitatis nostræ. S. Rupertus hic. l. 2. Quasi diceret: *cia dilecte mi!* qui à Mundo isto visibili per mortem recessisti, revertere citissimè ad vitam; resurge à mortuis &c. de Ponte hic, Exhort. 29. §. 1.

Vadam ad montem myrrha. Cant. 4. 6. Ascendam Jerosolyman; & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt de me: tradar enim gentibus &c. Hoc erit *ire ad collem thuris.* S. Rupertus hic l. 3.

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Cant. 5. 10. Rubicundus in Passione, candidus in Resurrectione. S. Hieron. in Jer. 63.

Ex Novo.

Facto vespere. &c. Matth. 16. 2. Per vespere, in quo cælum rubicundum est, Passio Christi significatur, proprio sanguine rubicunda; matutina serenitas significat gaudium Resurrectionis. Hugo Card. hic.

Obtulerunt ei partem piscis assi, & solum mellis. Luc. 24. 42. Piscis assus fuit Christus in Passione; melatus in ara crucis igne

tormentorum, & dolorum: sapor mellis est in Resurrectione: totus enim suavis, & dulcis; apparet. Hugo Card. hic.

Mulier, cum parit, tristitiam habet &c. Joan. 16. 21. Appositè Christus Passionis, & mortis suæ, tempus comparat parturitioni; Resurrectionem verò gaudii post partum: Christus enim in Passione cruciatus fuit doloribus, & angoribus, inlar mulieris parturientis; at, peractò partu, cum se meritò mortis suæ resurgentem vidit; nosque similiter resurrecturos cognovit; mirè gavisus est, & magnò gaudiò Apostolos, & omnes Fideles, perfundit. Cornelius hic.

Stella splendida, & matutina. Apoc. 22. 16. Christus lucida illa, & matutina, stella est: ut qui, post triduanam mortem, manè nobis exortus fuerit; nec non, post præsentis vitæ noctem, in matutina communis Resurrectionis hora, Sanctis omnibus conspicuum sese exhibebit; diem, qui nunquam habiturus est finem, certò adducturus. S. Andreas Casar. l. 27. hic. Christus vivus apparet post mortem, matutina nobis stella factus est: quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequentem indicavit. S. Gregor. mor. l. 29. c. 17.

Sol.

Samson interpretatur *sol eorum*: & significat Christum: quia etiam corpore sole clarior fuit in Resurrectione. S. Bonavent. l. 5. in Resurr. Dom.

Valde manè ortò jam sole. Marci 16. 2. Fortè Marcus solis nomine, literalì hóc sensu, Christum intellexit, id est, post veri solis Christi resurrectionem. Barradius hic tom. 4. lib. 8. cap. 1.

Sol. Lom: *Occidit oriturus, Vel: Vadam, ut revertar.* Oritur ex Deipara Maria secundum carnem; occidit autem, ad Inferni ima descendens: sed & rursus exoritur à mortuis resurgens. Olympiodorus in Ecclæ l. 5. de Christo, mysticò sole. Picinelli.

Leo.

Facies leonis. Ezech. 1. 10. Significat fortissimam, & invictam virtutem Resurrectionis Christi. S. Rupertus l. 13. hic.

Christus significatur in homine, vitulo, leone, aquilâ Apoc. 4. 7. Est homo nascendo; est leo resurgendo; est vitulus patiendo; est avis alta petendo. S. Bonavent. l. 5. in Resurr. Dom.

Qui agnus extiterat in Passione, leo factus est in Resurrectione. S. Bernardus f. 14. ex brevibus.

§. II.

Resurrectio Christi Mundo leta, solatiofa.

Fiat lux; & facta est lux. Gen. 1. 3. Die Dominicò dixit DEUS. Eadem die dixit: fiat lux in corpore meo mortuò; & facta

facta est vita lux in illo. Dixit quoque, fiat & lux lætitiæ in cordibus meorum Discipulorum; & facta est lux lætitiæ in cordibus eorum; & quæ omnes depulit mœroris tenebras. Hac item die dixit: fiat lux gratiæ in anima bus; peccata sua ritè confitentium: & facta est; sicut gratiæ lux super eos, qui delicta sua confessione expiant: nam die Dominicâ confessionem, delictorum expiatricem, instituit. Joan. 20. 22. Barradius t. 4. l. 8. c. 4.

Nuntiaverunt ei dicentes: Joseph filius tuus vivit. Gen. 45. 26. *quò auditò &c.* Nuntiaverunt mihi dicentes JESUS DEUS meus vivit &c. Sufficit mihi, si JESUS vivit: si vivit, vivo; cum de ipso pendeat anima mea; imò ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi desse poterit, si JESUS vivit? Imò desint alia; nihil interest mea; dummodò JESUS vivat. Guarricus l. 1. de Resurr.

Tempus stendi, & tempus ridendi. Eccl. 3. 4. Tempus gaudii, & tempus mœroris, ait Ecclesiastes. Mœrorabit; gaudii tempus advenit; verum gaudium, quod de Christi Resurrectione provenit. S. Amedeus Ep. h. 6.

Surgam, & circumibo civitatem, per vicinos, & plateas; quarum, quem diligit anima mea. Cant. 3. 2. Sponsum, mortis victoriâ, ac inferorum, strage, gloriosum sponsa, amoris stimulis agitata, diligenter perquirat; & absentiam non ferens, prodit in publicum. Sed cur in vicis, & plateis, quarit? quem totò credit Resurrectionis splendore pertulsum? S. Bernardus in Cant. 5. arbitrata est, egressum de tumulto, publicum mox petiisse: ut solitò doceret populos, ac sanaret infirmos; & ut manifestaret gloriam suam in Israël. Naxera in Jos. 7. §. 19.

Ego sum resurrectio, & vita. Joan. 11. 25. Syr. ego sum consolatio, & vita. Syri enim resurrectionem vocant consolationem: quia illa hominibus in hujus vitæ desolatione summa est consolatio animæ, & corporis. Cornelius hîc.

In Resurrectione Christi elementa omnia gloriantur: nam & solem ipsum arbitror in hac die esse solitò clariorem. Necessè est enim, ut sol in ejus Resurrectione gaudeat: in cuius Passionè condulit: & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modò coruscat in Resurrectionis obsequium. S. Ambros. l. 52. in die S. Paschæ.

Per suam Resurrectionem JESUS populo requiem comparavit: requies enim in cœlo, non in terra, est. Requies nostra Dominus est JESUS; qui ait: *hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. 43. S. Ambros. ep. 39.

Christus resurgens, afflictos, oppressos, & constrictos, non dimittit. Pauperes amplectimini vestram nutricem. S. Gregor. Nyss. or. 3. de Resurr.

Verisimile est, animas ex limbo educatas, in paradiso terrestri permansisse, Christumque in eodem dies, noctesque, transgressisse. Sic Anselmus in Elucidario, & S. Bonaventura in vita Christi c. 81.

Sol, qui per tres horas, ut Domino compatere- retur, abcesserat; claritate, cum resurgeret Dominus, ante tempus occurrit. S. Chrysol. l. de resurr.

§. III.

Resurrectio Christi causa, & spes nostra resurrectionis.

Veniunt ad monumentum, orto jam sole. Marc. 16. 2. Hora Resurrectionis Christi fuit in aurora; Resurrectio enim Christi est initium universalis resurrectionis omnium corporum; sicut aurora initium est diei. Cajetanus hîc.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. 15. 5. dixit Christus; cum jam prope esset, ut ex hoc Mundo transiret ad Patrem: Et siquidem hæc vitis gloriosa apparuit, certissime glorificabitur cum ea veri, & virides, ejus palmites. Diez. Dom. Resurr.

Primitia dormientium. 1. Cor. 15. 20. factus: ut omni carni ad resurrectionem iteraperiret. S. Greg. Nyss. de perfectione Christiani.

Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. 1. Petri. 1. 3. Mortuus est, ne nos mori timeamus: resurrexit ex mortuis; ut & nos per eum resurrecturos esse speremus. V. Beda hîc.

Dominicæ Resurrectionis sacra dies, bonorum dierum mater. S. Thom. Vill. l. de die Resurr.

Non tantum ad fidem plantandam; sed etiam ad spem nostram erigendam, decuit Christum resurgere: ut, quod in Christo jam factum credimus, in nobis aliquando futurum, non dubitemus: si enim radix vivit, vivificabitur & rami. Resurrectio Christi, resurrectionis nostræ exemplar, & causa, est. Id. l. 2.

§. IV.

Resurgentis Christi apparitiones.

Pro timore autem ejus exterriti sunt custodes; & facti sunt velut mortui. Matth. 28. 4. Drogo Ost: potestas tenebrarum lucem non sustinens, ad nuntium vitæ facti sunt velut mortui. q. d. cum vita resurgit, cum immortalitas mortalibus nuntiatur; tunc morti traduntur miseri: & vitalis lucis aspectu, lethalius infaulti tenebris involvuntur. Scilicet impii erant, dæmonis milites, & in potestate tenebrarum. Ramirez Apoc. 2. in ep. 3.

Maria stabat ad monumentum sors plorans. Joan. 20. 11. Prima huic bono (apparitionis post Resurrectionem) digna judicata est quondam peccatrix Maria: quæ nimirum crucem, & pœnarum ejus insignia memori mente gestabat: & vel talem videre sciens, qualem sepulchri locum susceperat; eò non inventò stebat; Discipulisque recedentibus ipsa non rece- debat; sed plorans stabat. Prima ergo hæc digna æstimata est, quæ stentibus oculis gaudium videret, gaudium tristibus Apostolis annuntiaret. S. Rupertus l. 2. de oper. Spir. S. c. 27.

§. V.

Resurrectionis dies festus.

Cum esset dies festus. Tob. 2. 1. Scilicet Resurrectionis. Dicit aliquis: nonne dies nati- vitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Pentecostes, sunt dies festi Domini? Dico, quòd sic: sed dies Resurrectionis est magis propriè dies Christi: quia

quia dies festus est dies quietis; dies Nativitatis fuit dies laboris. S. Vinc. Ferr. f. 2. Dom. 20. Pent.

S. Ignatius M. ep. 3. ad Magnesianos, Dominicam Resurrectionem vocat Regalem, eminentissimam omnium dierum.

Inter omnes dies, quos multis modis honorabiles habet Christiana devotio, nullus est excellentior festivitate Paschali, S. Leo f. 10. de Quadragesima.

Hæc nobis festivitatum festivitas, & celebritatum celebritas; tantò cæteris omnibus antecellens, quantò sol stellis antecellit. S. Gregor. Naz. or. 42. in Pasch.

Hæc dies vocata sancta; hæc una Sabbathorum; regina, ac domina; festorum festum; & celebratum celebritas, S. Joan. Damasc. de Dom. Pasch.

§. VI.

Varia in Resurrectione Christum concernentia.

Filius hominis traderetur &c. Matth. 20. 18. q. d. ò mea caro! quam atrociter habebis ab hominibus! at *tertià die resurget.* Perfer ergo, & obdura: triduo enim, postquam hæc sustinueris, tam elegans horrore inferis, tormento demoniis, stupori tuis hostibus, solatio meis Discipulis, gaudio cælis, jubilo terris, levamini afflictis; futura. Did. Nils. in festo Resurr. D. §. 3.

Non bibam de hoc gemine vitis &c. Marci 14. 25. Patris regnum, suam appellat Resurrectionem; per hanc enim, & ipsi regnum obvenit, & cæteris hominibus ejusdem regni societas obtigit. Victor. Antioch. hic.

Resurrectionis gloriæ sepelivit morientis injuriam. S. Chrysol. f. 75.

Veris tempore Deus condidit Mundum - Filius Dei, per quem facta sunt omnia, eodem die, eodemque tempore, prostratum Mundum propria resurrectione resuscitat; quò eum priùs

creaverat ex nihilo: ut omnia reformarentur in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terra, S. Gaudentius tr. 1. in Exod.

§. VII.

Varia in Resurrectione homines concernentia.

Averte. Matth. 28. 9. Oportebat primùm muliebrem sexum ab Angelo bonum Resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, *averte*: quoniam mulier prima quoque audiverat fraudem serpentis. S. Gregor. Nyss. or. 2. de Resurr. Ambigere aliquis non injuriâ poterit: quamobrem Discipulis; Petro, dico, atque Joanni; Angeli non apparuerunt? mulieri autem & apparent, & loquuntur? Resp. Discipulos rerum exitus Scripturæ, Christi; prædicationibus conveniens, ad firmissimam fidem induxit. Supervacaneum igitur erat, firmiter credentes voce Angelorum doceri. Mulieri autem penitus necessarium; quæ nec literas sciret, nec aliò modò, sublime Resurrectionis mysterium percipere posset. S. Cyrill. l. 12. c. 46. in Joan.

Virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi. Act. 4. 33. *vendentes offerebant pretia.* v. 34. Ad unum evibratum Resurrectionis jubar, pecuniæ mox omnes projectæ, & conculcatæ, Miraberis ferrum non timeri: plus miror, aurum non amari. Jerosolymis & cædi optabant, & ditari negligebant Christiani: facti, exemplò Christi, de sua resurrectione securi. Mors auri resurrectio est. Oliua fer. 3. Pasch.

Moriendum est diabolo, & vivendum Deo: desciendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. Occumbant vetera, ut oriantur nova. S. Leo f. 9. de Pasch. Dom.

Mors Christi exemplum fuit, ut peccato moriamur: & Resurrectio ejus exemplum fuit, ut justitiæ vivamus. Innocentius P. III. de Sacr. alt. myst. l. 4. c. 35.

TITULUS XIV. RESURRECTIO HOMINUM.

*Figura, & Symbola.**Ex Veteri, & Novo.*

Florete flores quasi liliam. Eccl. 39. 19. Anagogicè nosse Pineda l. 6. de reb. Salo. c. 5. hæc verba Syracidis refert ad gloriam, & jubilum beatorum, in cælo. Liliam enim est symbolum stolæ candidæ, resurrectionis, & dotis claritatis. Unde Angeli post Resurrectionem Christi, ut eam suâ specie adumbrarent; apparuerunt in vestibus liliatis, id est, candidis & splendidis. Matth. ult. v. 3. & Marci ult. c. 5. Hinc S. Hilarius in Matth. 6. 28. docet, lilia esse Symbola angelorum, & angelicæ claritatis. Hinc & in officio Ecclesiastico Martyribus accinit Ecclesia: *Sanctorum velut aquila juvenis renovabitur; florebit sicut liliam in civitate Domini.* Et tempore Paschali: *Sancti*

tui, Domine, florebit sicut liliam; & sicut odor balsami erunt ante te. Alleluja! Cornelius hic.

Evomit fonam in aridam. Jon. 2. 11. Jonas non verbis Dominum prædicavit, sed passionibus imitatus expressit: non vocibus sepulchrum Dominicum prænuñtiavit; sed in cæto sepultus, & post triduum sine noxâ redditus, cunctos docuit mortales, immortalitatis januam esse mortem; ac de sepulchro vitam erumpere. S. Basilius Seleuc. or. 2. in Jon.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9. 6. Anagogicè: dicit in Resurrectione Dominus: *surge* à mortuis; *tolle lectum*, id est, corpus gloriosum; & *vade in domum tuam*, id est, æternam mansionem. Cornelius hic.

In regeneratione, cum sederis Filius hominis